



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Appendix Ad Dvbitationem 23. Cap. 20. Lib. 2. de Monte Pietatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

A P P E N D I X
A D
D V B I T A T I O N E M X X I I .
C A P . X X . L I B . I I .
D E
M O N T E P I E T A T I S .
O C C A S I O S C R I P T I O N I S .

CVM Serenissimus ALBERTVS Austriacus Belgij Princeps initio sui Principatus videret populum vsuris grauatuin; vt illum, quantum pro ratione temporis poterat, subleuaret, primūm constituit, vt publici vsurarij, qui 33. in centum exegerant, deinceps tantum 22. acciperent. In quem finem reuinisit eis pensionem aliquot milium aureorum, quam quotannis Principibus Belgij, nomine mulctæ aut vectigalis culusdam, soluere consueuerant. Desideranti deinde adhuc magis subditos subleuare, suggestum est consilium de Monte Pietatis instituendo: & cùm eam ad rem parum gratuiti subsidij ad manum esset, neque spes affulgeret aliquid consequendi, quod tanto operi etiam inchoando sufficeret, proposita fuit ea ratio, vt magna quædam pecunia summa ad censum acciperetur, cuius canonem Mons ex ea constatus penderet ad ratam numimi 16. & à mutuatarijs recuperaret. Post serium examen licitam hanc rationem censuerunt aliquot Belgij Prælati, duo nempe Archiepiscopi, & sex Episcopi, qui Mechliniæ anno 1617. conuenerant. Cuimque vir industrius D. Wenceslaus Coberger Architectus Sereniss. Principis formulam minutatim conceperat, qua domus idonea emi, instrui, & pecunia comparari atque admirari posset, ea à quibusdam Prælatis & Theologis examinata, in præcipuis articulis (minutioribus quibusdam peritorum mercatorū iudicio relictis) tamquam Reip. utilis, pauperibus ac egentibus opportuna, & à pietate commendabilis probata est 16. Nouemb. 1619. nec non à Principe, habito Conciliorum & aliorum doctorum virorum iudicio, tamquam talis admissa. Quare etiam quibusdam in locis, non sine multorum gratulatione, in usum est deducta.

Quidam verò cùm viderent rem procedere, vt eam disturbarent, per Aduocatum quemdam Consultationem à Doctoribus nonnullis elicuerunt, quā ostenderetur, Montem Pietatis ex pecunia ad censum accepta, quā domus aptaretur, & mutuum potentibus subueniretur, ita vt census illius annum onus in mutuatarios deuolueretur, non posse institui absque usuræ iniquitate. Neque id mirum videri debet, quia etiam tempore Conc. Lateran. sub Leone X. non

Y y y defue

defuerunt aliqui Doctorum, qui omnes Montes, in quibus vel pro ministris, vel pro conseruatione rerum Montis aliquid supra sortem acciperetur, condemnabant usurariæ iniquitatis, vel certè tamquam speciem mali habentes. Quorum sententiam et si idem Leo X. Pont. cum Concilio improbet, laudat tamen zelum iustitiae, quem illi Doctores habebant; ne vorago usurarum sub specie Montis Pietatis aperiretur.

Post hæc rogatus, ut ego etiam sententiam meam scripto aperiem, detrectavi primum, quoad potui, quod satis clarè viderer ea de re in Opere de Iustitia & Iure lib. 2. c. 20. dub. 23. scripsisse: sed cum audirem, doctrinam illam meam, quam D. Wenceslaus secutus erat, suggillari; & scirem hac ratione gratum me facturum ijs qui tale adminiculum Reip. desiderabant, & veritati patrocinatorum, cessi potentibus; & duas Quæstiones, in quibus præcipua difficultas versari videbatur, resolui. quæ resolutio, cum ad manus Doctorum qui aliter fenserant, venisset, ab illis studiosè est refutata. Ad quam refutationem respondentum etiam mihi fuit, ne veritas, rationibus aliter sentientium oppressa, cum damno boni communis, in tenebris vel in ambiguo maneret. Et quia vir doctissimus Balthasar Moretus Typographus quintam editionem Operis nostri de Iustitia & Iure suo prælo adornabat, visum fuit amicis eruditis, ut tota hæc Disputatio per modum Appendicis ad Dubit. 23. c. 20. lib. 2. vbi agitur de Monte Pietatis, adjiceretur; ut si qui forte in aliis prouinciis simile quid velint instituere, aliis mediis non suppetentibus, possint hinc colligere, prædictam rationem esse securam. Calcar addidit idem Sereniss. Princeps, qui, pro suo in horum Montium erectionem & felicem progressum affectu ac studio, operam hanc meam, gratam sibi fore significauit.

Fuit ante annos circiter 20. similis quædam in Belgio controversia de triplici contractu inito cum mercatore, de quo agitur l. 2. c. 25. dub. 3. quem licet Na- uarr. de usuris n. 32. & in Manuali c. 17. n. 254. & alij graues DD. probent, multi tamen censebant illicitum & usurarium: quæ sententia si sequenda fuisset, non parum incommodi negotiis Regiis bonoque publico attulisset. nam pecunia, quæ singulis mensibus à mercatoribus in belli sumptus numeranda erat, para- ta esse suo tempore non potuisset: & usuræ quas mercatoribus Rex soluere debuisset, longè fuissent grauiores. Nam mercatores omnem pecuniam ex variis & longinquis locis per cambia trahere debuissent: cambiorum autem ratio longè grauior est, quam triplicis contractus. Sanè cum bono publico nati simus, non video, cur non conueniat, in magnis rerū angustiis, vbi aliae rationes comodiiores non suppetunt, ut sententia probabili ad bono publico subueniendum. Longè maior difficultas est circa iustitiam censuum personalium (quales plerique sunt, quibus Belgium, Germania & Gallia vtitur) tum propter Bullam Pontificiam, tum propter rationes morales; & tamen isti non oppugnantur. Quin imò illi ipsi, qui Montes hos & triplicem contractum oppugnant, huiusmodi census libenter emunt: nec immerito, cum probabili ratione nitantur, nec Bulla, quæ parte contrarium disponit, fuerit h̄ic vñquam usu recepta.

Ad maiorem autem disputationis lucem, inferendam h̄ic duxi Bullam Leonis X. Pont. ex Conc. Lateran. sess. x. ex qua desumuntur argumenta contra nostram doctrinam.

LEO

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

LINTER multiplices nostra sollicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro pastorali officio debemus, ut quae salubria & laudabilia, ac Catholicae fidei consona, & bonis moribus conformia, nostro tempore non solum enucleentur, verum etiam ad posteros propagentur: & qua materiam scandali præbere possent, penitus succidantur & radicibus extirpentur, nec pullulare usquam sinantur; ea in agro Dominico & vinea Domini sabaorb dumtaxat conscri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, eradicatis zizanijs, & oleastri sterilitate succisa. Sanè cùm olim inter nonnullos dilectos filios S. Theologie Magistros, ac Iuris utriusque Doctores, controuersiam quamdam, non sine populorum scandalo & murmuratione exortam, & nuper his diebus innouatam esse compererimus, circa pauperum releuationem, in mutuis eis publica auctoritate faciendis, qui Montes Pietatis vulgo appellantur, quique in multis Italiae ciuitatibus ad subueniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopia, ne usurarum voragine deglutiuntur, à ciuitatum Magistratibus, & alijs Christi fidelibus sunt instituti, atque à sanctis viris, divini verbi praconibus & laudati & persuasi, ac à nonnullis etiam Summis Pontificibus prædecessoribus nostris probati & confirmatis, sintne præfati Montes à Christiano dogmate dissonantes, vel non, utraque parte diuersimodè sentiente atque prædicante: nonnullis etiam Magistris & Doctoribus dicentibus, eos Montes non esse licitos, in quibus aliquid ultra sortem pro libra, decurso certo tempore, per ministros huius Montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab usurarum criminis iniustitia, seu aliqua certè specie mali, mundos non evadere: cùm Dominus noster, Luca Euangelista attestante, aperito nos præcepit obstinixerit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullóve periculo, lucrum scutusque conquiri studetur. Addebat etiam iudicem Magistri & Doctores, in his Montibus neque commutativa neque distributiva iustitia fieri satis, cùm tamen iustitia terminos contractus huiusmodi exceedere non debeant, si debeant approbari: idque præterea probare nitebantur, quia impensæ pro huiusmodi Montium conseruatione, à pluribus (vt aiunt) debitæ, à solis pauperibus, quibus mutuum datur, extorqueantur; pluraque interdum ultra necessarias & moderatas impensas, non absque specie mali ac incentiu delinquendi, quibusdam alijs personis (vt inferre videntur) exhibeantur. Alijs vero pluribus Magistris & Doctoribus contraria afferentibus, & in multis Italiae Gymnasijs verbo & scripto conclamantibus, pro tanto bono, tamque Reip. per necessario, modo ratione mutui nihil petatur neque speretur, pro indemnitate tamen eorumdem Montium, impensarum videlicet ministeriorum eorumdem, ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium, absque Montium huiusmodi lucro, idque moderatum & necessarium, ab his, qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt, liceat ultra sortem

Y y 2

exig*i*

exigi & capi posse nominib[us] licere: cū regula Iuris habeat, quod qui comodum
 sentit, onus quoque sentire debeat, præsertim si Apostolica accedit auctoritas. Quam
 quidem sententiam à fel. record. Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI.
 & Iulio II. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris probatam, à sanctis quoque
 ac Deo deuotis, & in magna ob sanctitatis opinionem existimatione habitis Euangelicæ
 veritatis præparatoribus prædicatam esse ostendunt. Nos super hoc, prout nobis est ex alto
 concessum, opportunè prouidere volentes, alterius quidem partis iustitia zelum, ne vorago
 aperiretur usurarum, alterius pietatis & veritatis amorem, ut pauperibus sub-
 ueniretur, utriusque vero partis studium commendantes: cū hæc ad pacem &
 tranquillitatem totius Reip. Christianæ spectare videantur, sacro approbante Concilio, de-
 claramus & definimus, Montes Pietatis antedictos, per Res publicas institutos, &
 auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum
 impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas,
 & aliarum rerum ad illorum conseruationem, ut præfertur, pertinentium, pro
 eorum indemnitate dumtaxat, ultra fortem, absque lucro corundem Monti-
 um recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi intentuum præstare, neque
 villo pacio improbari; quinimo meritorum esse, ac laudari & probari debere tule mu-
 tuum, & minimè usurarum putari, licereque illorum pietatem & misericordiam popu-
 lis prædicare, etiam cum Indulgencij à sancta Sede Apostolica eam ob caussam concessis:
 ac deinceps alios etiam similes Montes cum Apostolica Sedis approbatione erigi posse.
 Multò tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gra-
 tuiti constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos censu assignarent, quibus, si non
 omni, saltem vel media ex parte huiusmodi Montium ministrorum soluantur impense,
 ut ad leuiorem æris soluendi portionem medio hoc pauperes grauari contin-
 gat. Ad quos, cum huiusmodi censu assignatione, pro impensarum supportatione erigen-
 dos, Christi fideles maioribus Indulgencij inuitandos esse decernimus. Omnes autem Re-
 ligiosos & Ecclesiasticas ac seculares personas, qui contra præsentis declarationis &
 sanctionis formam de cetero prædicare seu disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, ex-
 communicationis late sententie pœnam, priuilegio quocumque non obstante, incurrire
 volumus: Non obstantibus premissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis,
 ceterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
 nostræ declarationis, definitionis, decreti & excommunicationis infringere, vel ei ausu
 temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipot-
 entis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Data
 Romæ in publica sessione in Lateran. sacra sancta Basilica solemniter celebrata, Anno
 Incarnationis Domini millesimo quingentesimo quintodecimo, 4. Nonas Maij, Ponti-
 fatus nostri anno tertio.

QVÆ-

Q V A E S T I O P R I M A.

Vtrum Principis auctoritate possit erigi in aliquo oppido pro communitate Mons Pietatis, in quo à mutuariis exigatur non solum quantum præcisè necessarium ad expensas ministrorum Montis, sed etiam quantum ulterius necessarium ad solutionem pensionum annuarum, quibus grauatur Mons pro pecunia ad censem accepta.

Sententia quorundam DD. negat. Forum argumenta.

QVIDAM putant, talem Montem instituti non posse, nec amplius posse exigi quam præcisè necessarium sit ad impensas ministrorum.

Primi probant, quia Leo X. in Concilio Lateranensi scilicet 10. ait: *In Montibus Pietatis pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conservacionem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra fortem absque lucro eorumdem Montium, recipitur. Quibus verbis volunt significari, in nullo Monte Pietatis posse quidquam accipi nisi pro ministrorum vietū & vestitu, & aliis quae ad ministrorum indemnitatē pertinent, illa enim verba, Et aliarum rerum ad illorum conservacionem pertinentium, pro eorum indemnitate, non tangunt nec respiciunt (ut ipsi dicunt) res, conservacionem, & indemnitatē Montium, sed ministrorum qui proximè prænominati sunt: quorum vietus designatur nomine impensarum; vestitus vero & quae cōdō pertinent, nomine aliarum rerum.*

Confit. Primi, quia hunc sensum requirit, quod in textu dicitur, *ad solas ministrorum impensas, &c.* Nam si ad Montis eumā rerumque ipsius conservacionem, iam non ad solas ministrorum impensas, nec ad eorumdem indemnitatē, prout dixit Pontifex, *dumtaxat.*

Confr. Secundi, quia circa finem Diplomatici nulla aliarum rerum facta mentione dicitur, *Perfectius & sanctius fore, si qui erigat Montes, aliquos census assignare, quibus si non omnino, saltem media ex parte huismodi Montium ministrorum soluantur impensa, &c.* id enim arguendo est, superiora de solis ministrorum impendijs, rebus, indemnitate procedere, alioquin enim, ne semiple ea efficitur, dicendum fuisse, *quibus media ex parte huismodi Montium ministrorum, aliarumque rerum ad Montes redditum, soluantur impensa.* Ex quibus inferunt, nihil accipi posse ad subleuanda onera Montium, v.g. reparacionem, munitionem, censuum, ac redditum; quia haec ministrorum impensas corumque res non ingrediuntur.

Secundū probant, quia vertuit Pontifex ad lucrum Montis supra fortem quidquam accipi à mutuariis; atqui pecunia à Monte ad redditus accepta, reducitur ad lucrum Montis, quia per ipsum augetur & increscit Montis acerius. Ergo non potest Mons quidquam accipere à mutuariis pro solutione pensionis annuae reddituum.

Tertiū probant, quia Summus Pontifex in illa Bulla verat instituti Montem Pietatis absque auctoritate Sedis Apostolicae: atqui Mons de quo agitur, non habet hanc approbationem, quia pe-

tita non est; ergo etiam hac ex parte est illicitus.

Haec ferè sunt rationes prioris scripti illorum Doctorum qui Montem improbant.

Verum his non obstantibus amplectenda nobis videtur pars affirmans, quam Vetus & Ratio manifesta confirmat. Nam in Italia dicuntur emi census super Montibus, quorum pensiones annuae soluantur ex taxa mutuariis constituta, sicut & impensae ministrorum.

Eamdem doctrinam tradidi & probauit in Operre de Iustitia & Iure, quod à doctissimis viris in Italia, Hispania, & Belgio fuit examinatum & probatum: nec unquam audiui eam haec tenus fuisse reprehensam, etiam si octies diuersis in locis fuit Opus istud excusum.

Ratio istius doctrinæ est, Quia quicumque gerit negotium aliorum, potest se seruare indemnum, præserim si id faciat publica auctoritate. Atque Praefectus Montis accipiendo pecuniam sub one re census ad mutuandum cuiilibet è communitate id perenti, negotium gerit alterius, nempe totius communitatis, & ex mandato illius agere censetur: non enim in suam utilitatem illam accipit, sed in commodum totius communitatis, & omnium qui pecunia in illa communitate eguerint. Ergo communitas debet illum seruare indemnum, soluendo annuas pensiones illorum reddituum. Cumque illa pecunia non ita accepta fuerit in commodum communitatis, ut directè & primò prodebet toti communitat, sed omnibus qui ex illa communitate futuri essent in aliqua pecunia paratae inopia, (qua cuiilibet obtinere potest;) æquum erat, ut non ipsa communitas tota, sed illi soli qui mutuum essent petituri, ad hanc solutionem concurrent; sicut etiam hi soli concurrunt ad stipendia ministrorum.

Confirmatur; Quia certissimum est, in Monte posse accipi à mutuariis quantum necesse est ad impensas ministrorum: id enim definitum est à Leone X. quod intellige, nisi alia sit aliqua fundatio, unde suppetant hi sumptus in totum, vel in partem. Cuius rei non est alia ratio, quam quod ministri isti sint constituti in commodum mutua-

Salte mutuarij concurrendo debent ad solutionem reddituum illorum.

tiorum, & in nullum alium finem: ergo simili ter poterit accipi à mutuariis, quantum necesse est ad soluendas pensiones reddituum, cum hi in solum commodum ipsorum sint constituti, qui enim commodum sentit, etiam onus sentire debet, ut Regula Iuris decernit. quia Regula Summi Pontifices, qui secundam sententiam in Bulla positam approbarunt, moti videntur; cum nulla alia ratio adferatur. Hęc autem Regula sicut locum habet in stipendiis ministrorum, ita etiam in solutione pensionum: sicut enim debent contribuere

Y y 3 ad

ad stipendia ministrorum, quia per illorum ministerium commodum percipiunt; ita etiam debent contribuere ad solutionem pensionum reddituum, quia ex pecunia illorum percipiunt communis, vnde frustra quis hic dicrum imaginetur.

⁷
Probatur
conclusio
ex verbis
Bulla.

Idem manifeste conuinicit ex Bulle verbis, quae non solum concedit accipi quod est necessarium ad impensas ministrorum, sed etiam quidquid est necessarium ad impensas rerum omnium, quae necessariae ad illorum Montium conseruationem, atque solutio pensionum eorum redditum, quibus Mons grauatur, est necessaria ad conseruationem Montium; quia sine redditibus, ut supponitur, pecunia haberi nequit, quae mutuo detur; nec ipse Mons potest existere, saltem isti initij, donec aliqui prius legatis vel donationibus illos locupletent.

8

Id ex verbis Bullæ conuinicit pater. Postquam enim Ponifex retulisset primam sententiam, quæ erat quorundam Doctorum, qui damnabant omnes tales Montes, in quibus aliquid ultra fortem à mutuariis acciperetur, sive pro stipendiis ministrorum, sive pro aliis oneribus, subiicit secundam his verbis: *Alijs vero pluribus Magistris ac Doctoribus contra afferentibus, & in multis Italiae gymnasij verbo & scripto conclamantibus, pro tanto bono tamq[ue] Reip[ublice] per necessario, modis ratione mutuabil petatur neque speretur: pro indemnitate tam corundem Montium, impensis videlicet ministrorum corundem, ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium (absque Montium huiusmodi lucro) idq[ue] moderatum & necessarium, ab his qui ex huiusmodi mutuo commodū suscipiunt, licet ultra fortem exigunt & capi posse nonnulli licet; cum Regula Iuris habeat, quod qui commendum sentit, onus quoque sentire debeat, presentim si Apostolica accedat autoritas.* Neque dici potest, hanc sententiam solum à Pontifice narrari & referri, non autem approbari; quia expresse Ponifex addit, quod Autores huius sententiae eam approbatam ostendunt à quinque Summis Pontificibus, & à sanctis viris publicè prædicatae & commendatae, eamque ipse à pietate & veritate commendat. Verba Pontificis sunt: *Quam quidem sententiam a felicis record. Paulo II. Sixto IV. Innoc. VIII. Alexan. VI. Julio II. Rom. Pontificibus predecessoribus nostris probatam, à sanctis quoque ac Deo deo uis & in magna ob sanctitatis opinionem estimatione habitis, & Evangelicae veritatis predicatoribus predicata am esse ostendunt.*

9

Secundo colligitur ex ipsa definitione, vbi repetuntur eadem verba: *Sacro approbante Concilio declaramus & definimus, Montes Pietatis antedictos, & autoritate Sedis Apostolice hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum, ad solas ministrorum impensis, & aliarum rerum ad eorum conseruationem (ut presentur) pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra fortem absque lucro corundem Montium recipitur, neque speciem malis preferre, nec peccandi incitium praetare, neque ullo pacto improbari, quin immo meritorum esse, &c.*

¹⁰
Refutatur
prima ex-
positio.

Neque dici potest, per ministrorum impensas intelligi solum victimum ministrorum; per impensas aliarum rerum intelligi ea quæ necessaria sunt ad vestitum, & qua eò pertinent. Hæc exppositio non est probabilis; quia talis restrictio & vñus illarum vocum est insolitus: totum enim stipendium ministrorum vocatur *impense ministrorum*. neque

enim potest distingui stipendium pro victu, pro vestitu, pro lecto, pro medicamentis, &c. Deinde manifestum est, illa verba, & aliarum rerum ad eorum conseruationem (ut presentur) pertinentium, non posse intelligi de conseruatione ministrorum, sed necessariò intelligenda esse de conseruatione Montium. ministri enim fatis pro se conseruandis solliciti erunt; & si discedant, facile alij inuenientur; sed magna sollicitudo adhibenda vñ ipse Mons conseruetur, ne videlicet vel à furibus, vel ab igne, vel alio modo vastetur & pereat. Idem colligitur ex verbis illis *ut presentur*, antè enim nulla facta erat mentio conseruationis ministrorum, sed solius Montis, ut patet ex verbis secundæ sententiae suprà positis: item ex illis *pro illorum indemnitate dumtaxat*: quod non de indemnitate ministrorum, sed *Montium* intelligitur, ut manifestum est; tum ex secunda sententia, cuius verba hic repertuntur à Pontifice, tum ex illis verbis definitiis, *pro eorum impensis & indemnitate*: vbi *to eorum* referendum est ad *Montes*, nō ad *ministrorum*. Denique hæc res per se adeo videtur perlucia consideranti, ut superuacaneum sit eam conari probare. Solum opus est, ut cum iudicio verba ipsa legantur.

Ex his planè concludo, non videri dubitandum, quin sicut exigi potest à mutuariis (seruata debita proportione) quantum opus est ad integræ stipendia ministrorum; ita etiam exigi posse quantum opus est ad solutionem pensionum annuarum, quæ debetur ratione redditum, quibus conflata est pecunia; quæ omnia intelligo, supponendo, *quod alia ratione pecunia, que mutuo detur, haberi nequeat*: nec ministris alia ratione iusta stipendia possint persolui.

Ad primam rationem pro sententia contraria allaram respondeo, Nullo modo ex illa Bulla colligi, non posse quidquam accipi, nisi pro expensis ministrorum. Imò contrarium clare colligitur, ut ostensum est, nimis posse accipi quidquid necessarium est ad impensas earum rerum, quæ pertinent ad Montium conseruationem, & ut ipsi Montes seruentur indemnes.

Ad primam confirm. Ostensum iam est, non agi ibi de conseruatione ministrorum, sed ipsorum Montium. & sensus est, posse accipi quantum necessarium est ad solas ministrorum impensas (id est ad sola stipendia debita) & ad impensas earum rerum quæ pertinent ad conseruationem Montium, eo dumtaxat fine, ut Montes seruentur indemnes, non ut lucrum captent: id enim significat paragraphus, *pro illorum indemnitate dumtaxat*.

Ad secundam confirm. Non fuit necesse utrumque repeteret: id enim vniusque est iudicium.

Ad secundam rationem. Sicut nemo sit dotor dum onerat se redditu (sic enim homines sunt pauperiores potius, quam ditoris, vnde nemo nisi coactus id facit): ita Mons per hoc non censetur fieri dotor, etiam si acerius pecunia crescat. Accedit, quod illa pecunia non accipiatur in communis alicuius priuati, sed in communis communis, quasi à gestore negotiorum. Vnde par est, ut à communis, nempe per eos qui huius communis sunt participes (seruata proportione debita) hoc onus feratur, iuxta Regulam Iuris: *Qui sentit communis, onus quoque sentire debet.*

Ad tertiam. Nulquam verat Ponifex instituit Montes Pietatis absque consensu vel approbatione Sedis Apostolicae, sed sub excommunicationis latæ

¹¹
Respons. ad
rationem
sententia
aduersa.

13

¹⁴
Ad secun-
dam ratio-
nem.

14

¹⁵
Ad ter-
tiam

lata sententia poena vetat damnari eos Montes, qui auctoritate Sedis Apostolicae cum conditionibus & limitationibus in Bulla expressis probati & confirmati sunt; & definit, alios similes in posterum cum eiusdem Sedis approbatione erigi posse. Hinc autem nullo modo colligitur, alios similes vel dissimiles sine approbatione Sedis Apostolicae erigi non posse. Quae enim est ista collectio, Pontifex definit Montes Pietatis cum conditionibus predictis cum approbatione Sedis Apostolicae erigi posse; ergo sine illa approbatione erigi non pos-

sunt? Sicut si definiret, posse ubique tetrarum in Ecclesia instituti nota beneficia cum approbatione Sedis Apostolicae; non recte inde colligeretur, beneficia non posse institui sine eiusdem approbatione.

Nec obstat id expedire ad cautelam, ne sub nomine pietatis irrepant fraudes, quia non omne quod expediens est, præcipitur a Summo Pontifice: multa relinquunt iudicio & sapientia Prelatorum, qui si, consultis viris doctis, adhuc haerant, possint ad suam Sanctitatem recurrere.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum Mons possit ita erigi, ut non solum id quod est necessarium ad stipendia ministrorum, & solutionem pensionum reddituum; sed etiam quod est necessarium ad instructionem domus, exigatur a mutuatariorum.

RESPONDEO breuiter affirmati-
uè. Colligitur aperte ex Bulla &
ex rationibus supra allatis. Bulla
enim aperte concedit aliquid exi-
gi pro expensis earum rerum quæ
necessariae ad Montis conservatio-
nem, ut ostensum est. Atqui domus firma & certo
modo aptata, est omnino necessaria ad Montis
conservationem; ergo pro illa aliquid exigi potest.
Idem conuincit ratio. Nam sicut pro ministro-
rum opera potest aliquid exigi a mutuatariorum, eò
quod sine illa non possint percipere commodum
ex Monte, ita etiam poterit exigi quod necessaria
rum pro instructione domus quia sine idonea domo
non possunt percipere commodum ex Monte.
Vtrobique sane eadem est ratio: vtrumque enim
est tantum in commodum perentium mutuorum:
vnde cum ex domo commodum percipient, par est
ut etiam eius onus sentiant.

16 Dices: Si pro his omnibus aliquid exigi potest,
nimur quantum opus est ut hæc omnia conser-
uentur & extent; ergo non erit modicum, quod ab
illis exigetur. Atqui Pontifex solum dicit posse
modicum quid accipi. Respondeo: Pontifex non
prohibet quin tantum possit accipi quantum ne-
cessere est, ut Mons indemnus feruerit, etiam si id
multum sit; sed loquitur definiendo & declaran-
do, eos Montes esse instos & landabiles, in quibus ali-
quid moderatum ad expensas ministrorum, & alia-
rum rerum pertinentium ad conservationem illorum
Montium accipitur. Hinc tamen nullo modo se-
quitur, eos esse illicios, in quibus multum exi-
gitur, quando expensa annua hoc exigunt. Imò ex
verbis Bullæ aperte colligitur, esse licitum, exigere
totum quod necessarium iudicatur ad Montis in-
demnitatem: hoc enim totum, et si non sit modi-
cum, censetur ramen moderatum, quod Pontifex
tantum requirit. non enim dicit modicum, sed ali-
quid moderatum posse accipi: quamuis etiam mo-
dicum dici possit id respectu viuarum, quas vfu-
rarij publici exigere solent, qui 33. in centum, &
quibusdam locis 42. accipiunt.

17 Dices: Si ad has omnes expensas contribuere
debent mutuatariorum; quo iure poterit domus ista
vocari Mons Pietatis? Respondeo: Quia parata

est semper succurrere necessitatibus pauperum & Recidetur
egentium pecunia, in quois euentu, mutuando tur Mons
abfque ullo lucro, quod vi & ratione mutuationis
sit percipiendum: mutuare autem egentibus, est
etiam si quis pacificatur de expensis, exigat id
opus pietatis, etiam si quis pacificatur de expensis, quod nece-
quas in hunc finem facit. Accedit, quod Mons ille arum ad
totus in solum hunc finem sit institutus: itaque indemnita-
cium finis ipsius sit opus pietatis, merito dicitur
Mons Pietatis.

Ex his patet, a mutuatariorum exigi posse, quan-
tum necesse est quotannis, vt domus firma & ido-
nea habeatur: vt si domus constituerit, v.g. 32000.
florenorum qui accepti sint ad censem, ratione
cuius soluendi sint quotannis 2000. floreni ad ra-
tam nummi 16. poterit auctarium supra sortem a
mutuatariorum soluendum ita taxari, vt sufficiat ad
annuam eorum solutionem.

Optandum tamen esset, vt domus huiusmodi 19
sumptu publico totius communitatis institueren-
tur, imposito aliquo modico vectigali cerevisia,
vino, vel aliis rebus ad tempus, donec tantum pec-
unia colligatur, quantum requiritur ad tales domos
adornandas. Si tamen hoc Principi non pro-
betur, eò quod circumstantiae temporum id non
patiuntur, modus supradictus seruari poterit, quia
non est illicitus.

RESPONSIO

Ad replicationem eorum qui aliter
sentient.

ET SI rationes supra à nobis allatae satis vi-
deantur perspicuae & efficaces ad sententiam
nostram stabilendam, non defuerunt tamen aliqui DD. qui in sua persistentes, conati sunt eas con-
trario scripto enerare. Digestimus illud in ali-
quot paragraphos, vt magis distincta & dilucida
sit responso.

Priusquam tamen rem aggrediamur, ne cui for-
te singulares in hac doctrina videamus, non erit
abs re affere aliquot Auctores, qui aperte nobis-
cum sentiunt: præfertim cum non definit, qui au-
ctoritate DD. magis ducantur, quam momentis
rationum.

21 *Ioan. Azorius Inst. mor. p. 3. lib. 5. c. 9. §. Secundum
Ioan. Azorius queritur, de Monte Pietatis agens, hæc habet:
Secundum queritur, Anciuitas possit compellere cives,
ut contribuant ad Montem, & deinde facere, ut mutuarij solvant lucrum ciuibus contribuentibus ad
rationem quinque pro centum, ita ut mutuarij sol-
vare cogantur septem pro centum; minima quinque
ciuibus contribuentibus, & duo ministri Montis pro
stipendio ipsorum? Luper Tract. de usuris, Com-
ment. 3. §. 3. num. 84. responder est hoc licitum, & cit-
at pro hac sententia Laurent. De Reduplicis in c. Con-
sultis, de usuris, n. 4. & Lapum Alleg. 137. n. 1. Alex.
in l. Item quia, §. 1. nu. 2. ff. de partis. Abb. in c. In ciuitate,
de usuris, in fine. Ipse vero Azorius distinguit,
& proposito uno modo quem improbat, subiungit
alterum, quem probat his verbis: *Circa secundum
modum praxis est ista. Cuius vendit censum, quem
constituit super se & bonis suis, & propter bonum
pauperum cogit ciues, et emant singuli certas portio-
nes, et ex eorum pecunias fiat cumulus Montis: &
deinde mutuarij, ultra id quod solvant pro stipen-
diosis ministrorum, soluant quoque quinque pro cen-
tum; quia haec est portio census, quem ciuii emunt. Et
hic modus videatur esse licitus. Nam ex parte ciuum
contribuentium non est mutuum, quia nequeunt re-
petere suas pecunias a ciuitate vel Monte, quia vere
eas dederunt ciuitati vel Monte pro pretio, quo emer-
unt a ciuitate vel Monte censem ad rationem
quinque pro centum. Ex parte vero eorum qui mu-
tuum petunt a Monte, non est aliquod onus iniustum;*
nam licet solvant quinque pro centum, totum hoc est
in bonum ipsorum, & ipsi tenentur ultra sortem ro-
tum id dare, quod est opus ad expensas Montis ne-
cessarias: inter expensas autem est, ut solvant censu-
fialis penso. Item censuali huiusmodi penso debet
solvi ab iis in quorum commodum Mons est consti-
tutus: & Mons iste non est constitutus in bonum ciuitatis,
sed in bonum pauperum & aliorum indigentium.
& quandocumque voluerint ministri & Gubernato-
res Montis, possunt redimere pensionem censualem,
reddendo singulis ciuibus capitale quod contribue-
runt. Hæc tunc ille.*

*Auctores
pro nostra
sententia.*

22 Ethib. 5. c. 22. §. Quartuor queritur, de Montibus
Italiae, quos Pecuniarios vocat, agens, ita querit &
refoluit: *Quartuor queritur, An licet Montium
Administratoribus pecunias accipere, ea lege, ut qui-
eas conseruari recipiant quatuor vel quinque pro cen-
tum quotannis, & deinde Administratores dent mu-
tuum pauperibus, ea conditione, ut aliquid preter
sortem reddant, unde satisfiat his qui pecunia sum-
mas in Montem contulerunt: ita ut mutuarij
quisque si v.g. centum mutuo accepiterit, solvare cogat
prater centum, septem, ex quibus duo vel tria ac-
cipiat Mons, ut ministri debitum stipendum soluat,
& quatuor vel quinque reddat singulis eorum qui
centum in Montem transstulerunt? De hac re magna
fuit olim alteratio, &c. sed postea communis consensu
recepta est sententia afferentum id esse licitum,
quandocumque i qui in Montem Pietatis conseruant,
ita dant, ut amplius repetere non possint, quamvis li-
berum sit Montium Administratoribus eas pecuniarum
summas reddere, &c. Et reuerat ita dicendum
videatur: quia nulla usura committitur ex parte ci-
uum contribuentium in Montem, vel ex parte eorum
qui Montis administrationem habent. Non ex parte
ciuum; quia illi pecunias suas mutuas non dant
Monti, quoniam repetere eas amplius non possunt:
emunt igitur censem annum, &c. Nulla iudicem-*

*Sententia
communi
consensu
recepta.*

usura committitur ab his qui Montis bona admini-
strant: quia tametsi exigant a mutuarij aliquid
supra sortem; id tamen non exigunt ratione mutui, *Penso non
sed damni, quod Mons ipse patitur: nam Mons sese exigitur
obligat ad solvendum annum censem, &c. Pro qua
ratione mutui.*

Nihil clarius aut explicatus pro nostra sen-
tentia dici potest. Nec refert, quod dicat quatuor
vel quinque solvi conferentibus pecunias in
Montem, & septem exigiri a mutuarij: hoc enim
exempli gratia tantum affertur. Cum enim pecu-
nia conferatur tamquam pretium census anni,
certum est, iuxta eius opinionem, conferentes pos-
se accipere, & Administratores posse quotannis
solvare ad ratam nummi 16, quo census in Belgio
emuntur, deinde si impensis alia, v.g. domus &
ministrorum, ad magnam summam ascendant,
posse id omne a mutuarij recuperari ex aucta-
rio, quod ultra sortem ab iis exigitur.

Eodem loco subdit Azorius aliam questionem
his verbis: *Queris, an Ciuitas, Repub. vel Princeps volens redimere census annos in bonis suis im-
positos, possit ex pecuniarum summa, quam habet
destinata & parata ad censu redimendos, Mon-
tem erigere, causâ pauperum mutuo indigentium; eo
pacto, ut mutuarij solvant censem annum, quem
censem aliquis Ciuitas soluebat quotannis? Respon-
deo posse: nam potes tu, v.g. Caio dare mutuos au-
reos centum, quos paratos apud te habebas ad redi-
mendum censem, ita ut ibi Cauium obliges ad soluen-
dum quotannis illum censem, quoad sortem principalem,
puta centum, ille tibi reddiderit: tunc enim,
quod Caio imponis, non est vi mutui, sed ratione
damni, quod pateris, &c.*

Si mutuarij possunt grauari censi qui non
redimuntur, eò quod pecunia in erectionem Montis
insumatur, poterunt etiam grauari censi qui
creatur aut vendit ad Montem erendum. Ne-
que enim hic appetat differentia, quæ ad rem fa-
ciat. Si Ciuitas, Repub. aut Princeps id potest,
poterit etiam Praefectus aliquis vel Administrator
Montis, Principis vel Reipub. mandato vel au-
toritate instructus.

Sigismundus Sciaccia tract. de Commerceis &
Cambio, §. 1. quest. 1. num. 451. & seqq. totidem
Sciaccia.

Valer. Reginaldus in Praxi fori penit. lib. 25.
cap. 11. num. 209. hæc habet: *Vndecimum dubium Reginaldus
est, An sit usura, si in subsidium indigentium, Ciui-
tas constituit censem, v.g. quinque pro centum, su-
per bonis suis, & cogat ciues singulos certam portio-
nem eiusdem censu emere, ut inde fiat pecuniarum
cumulus, ex quo capientes mutuo, supra sortem &
taxam pro expensis ad illius conservationem necessa-
rijs, solvant quinque in censem quem ciues emunt?*
*Ad quod responderetur, non esse usuram, nam ex parte
ciuum contribuentium, non est mutuum, sed em-
pito censu facta iusto pretio; nec ex parte mutuarij
iustitia committitur, quo grauatur; cum
in commodum ipsorum institutus sit talis contractus,
esque relinquatur liberum, ut beneficio illius vel
non uti.*

Hæc est resolutio questionis nostra ferè in ter-
minis: nam quæ in calu ponuntur de censi creato
super bonis ciuitatis, & de ciuibus coactis aut co-
gendas ad emptionem portionis eiusdem, planè
parerga sunt ad id quod hic controvexit.

Cofim.

26. Cosm. Philiarcus de offic. sacerd. lib. 5. cap. 21.
Philiarcius. §. Quoad primum, sic ait: *Quoad primum, si Mons mutuaret solis pauperibus, & cum pecunia Mons non sufficiat, nec inueniat Mons qui gratis mutuentur, sed bene ex charitate, dummodo seruentur indemnes, ob verum interesse, quod mutuando patiuntur, res est clara: nam certum est, quod Mons, ut pauperibus subveniat, potest mutuo accipere, & quod mutuantes possunt accipere interesse; quod ob tale mutuum vero patiuntur, & quod hoc interesse debent soluere pauperes qui mutuo accipiunt a Monte, aliquid plus soluendo, cum illud Mons propter eos & in eorum utilitatem patiatur, a quibus debet seruari indemniss.*

Ex charitate mutuantes priam quidem indemnitem stipulatur. Si mutuarij, etiam pauperes, debent soluere interesse pecuniae mutuo accepere, quod sapienter excedit pensionem censualem, immo & fortè aequaliter potest, etiam debent soluere pensiones pecuniae ad censem acceptae; eadem enim utriusque est ratio, cum utrumque onus suscipiantur a Monte, tantum in utilitatem eorum.

27. Thom. Bonifacius De Montib. c. 4. & 5. non dubitat, quin id quod soluitur quotannis ijs qui dant pecuniam in Monte depositario (qui qua parte etiam murum dat pauperibus, Mons Pietatis ab Azorio, Sciacchia, & aliis vocatur) possit colligi ex taxa mutuariis imposta; sed disputat tantum, quo titulo ipsi conferentes aut deponentes illud possint accipere: & supponit, titulo pensionis anni censis posse accipere, si non referarent sibi ius repetendi pecuniam suam pro arbitratu. Verba eius non adfero, quia sparsim haec docet, & non nisi Italico idiomate ad manus meas peruenit.

28. Fran. Sarmientus, magnus vñrarum & vñrariorium hostis, ut videre est lib. 7. secul. interpr. c. 2. num. 13. & 14. disputans ibidem num. 4. pro definitione Leonis X. & probans licere aliquid accipere ultra fortē a mutuariis, ait: *Si petas, ut tibi mutuum Rome, ubi pecunias non habeo, sed notos mercatores, a quibus ego accipiam mutuum sub nomine, quod aliter noluerint mutuare, possum idem faxus a te accipere, non ut aliquid lucrer, sed ut damnum emergens in causa visetur.* Ergo secundum ipsum, si accipiam pecuniam ad censem, ut tibi mutuum, possum a te repetrere pensionem annuanam, quam cogor soluere, donec restituendo mutuum me hoc onere liberes. Ergo idem poterit Prefectus Montis. Et c. 3. num. 1. docet, *nullam vñrariam labem a Montibus contrahit, si solius damni emergens ratio habeatur.* Atque in casu nostro tantum habetur eius ratio, nempe pensionis annua redituum, cuius solutio foret Monti detrimentosa.

29. Lud. Molina Tomo 2. de Iustitia disp. 325. probans iustitiam Montium Pietatis & Decretalem Leon. X. his virtutib. verbis: *Sicut enim licitum est aliquid accipere a mutuariis, ratione lucri cessantis aut damni emergentis, neque in eo vilia cernitur vñra, quia non accipitur pro mutuo, sed occasione mutui, ex longe also titulo; eo quod fas sit mutuanti, non alia ratione mutuare, quam deducendo in patrum tacitum vel expressum, ut a mutuariis indemnis scribiatur, eaque de causa licite potest accipere ab eis damnum, quod ei emergit, aut lucrum quod ei cessat ob mutuum: ita fas est accipere a mutuariis expensas omnes, que ut mutuum in eorum gratiam preparatum semper habeatur, eisque quando voluerint detur, sunt: neque enim subire eas tenetur, qui beneficium mutui præstat; sed fas ipsi est, deducere illas mutuariis in*

pactum, ut si mutuum, in ipsorum solum commodum ex charitate preparatum, accipere velint, eas soluant, alioquin ab accipiendo eo mutuo se contineant: quo sit, ut ex communitatu iustitia in eo evenit teneantur mutuarii ea solvere; non quidem vi mutui, quasi scilicet alio quocumque contractu, ex solo mutuo, ad illas tenerentur; sed vi alterius contractus iustitiae, quo ea lege datus illis mutuum, in ipsorum commodum preparatum, si ad expensas in eorum commodum factas contribuere velint. Hæc ille ita generatim de omnibus expensis factis ad hoc, ut mutuum paratum habeatur: inter quas, in casu nostro, sunt pensiones censu.

Similia habent passim alij DD. qui dum Montes Pietatis à Leone X. approbaratos contra Caetanum & Sotum tenuerunt, eas rationes adferunt, quæ probant, non tantum ministrorum impensas à mutuariis exigiri posse, quæ sola desiderantur in Montibus quod pecuniam seu capitale & quod domum fundatis, de quibus tunc videatur fuisse quæstio; sed etiam alias omnes quæ fierent in aliis Montibus, ad hoc vt mutuo semper iuuari egentes possint: ea autem in casu proposito sunt annuae pensiones pecuniae ad censem acceptæ.

In particulari vero domum inter onera à mutuariis praestanda, iuxta mentem Leonis X. (de quo agitur qu. 2.) recentent, Azorius supra, Molina infra, Regin. c. 11. num. 206. & alij plures, qui de Montibus fuisi scripserunt.

Supereftiam vt replicationes, solutionibus & rationibus nostris oppositas, refutemus & diluamus.

Primo §. negare videntur, in Italia pensiones, quibus Montes grauuntur, exigiri aut recuperari à mutuariis. Sed respondeo, Id in primis colligi ex Autoribus citatis, Azorio, Sciacchia, Bonifaciu, & aliis, qui de variis Montium generibus scripserunt. Secundo, id recte præsumi, ex eo quod Montes quidam in Italia ingentes summas quotannis dicantur erogare in mutuantes, & ab ijs exigere 6. vel 7. in 100. quæ cum non requirantur ad solas ministrorum & ordinariis similes impensas, necessariò destinantur solutioni annuarum pensionum quibus Montes illi grauuntur, cum nullus alius titulus iuste tantum accipendi appareat.

Sed aiunt: Forte ex crescencia taxæ mutuariis imposta in solas expensas ministrorum, solutioni talium pensionum tamquam pio usui destinatur, cum ad mutuarios redire non debeat. In quo sati aperte sibi contradicunt, quia, si non licet quidquam à mutuariis accipere ultra expensas ministrorum (vt illi volunt) certum est, quod grauus ex crescencia, longè superans (vt loquuntur) expensas ministrorum, vitra taxam legitimam à mutuariis sit recepta, ac proinde de iure ad eos redire debeat, vt recte Azor. infra l. 5. c. 9. qui quanto anno inueniri facile possunt. Et concurrit inter DD. quod Mons teneatur taxam immuniueri, si solutum à mutuariis, aliquot saltem annis continenter, excedat expensas ab ijs præstandas; ne Mons lucrum faciat & detracat ex mutuo, quod omnes damnant. Lewis autem ex crescencia, quæ excedit & mutuariis pro rata restituti moraliter nequit, solutioni tali non sufficit. Deinde ex crescencia quocumque illa sit, est omnino incerta & indefinita, vnde ex ea in praxi non potest securè consuli indemnitate Montium pro solutione pensionum: quare non potest esse locus conjecturæ opONENTIUM.

Secun-

- 34
- Petitio principij.*
- Secundo § insinuant aperte, etiamsi in Italia ita fierer, non tamen id curandum, eò quod usuraria vbiique illicita sit, vbi supponunt, id adeò manifestam esse usuram, ut exemplum Italiae vel aliarum regionum non debeat nos mouere. Quia in re aperite perunt principium, supponentes id quod est in questione. Nam queritur, utrum hoc sit usurarium vel illicitum: & nos probamus non esse illicitum, ex usu aliorum populorum, prasertim Italiae in conspectu Sedis Apostolicae, vbi non permetteretur tamquam licitum, si esset illicitum. Respondent illi, esse illicitum, & ideo non esse curandum, etiamsi alibi permittatur. Quis non videat hic peti principium?
- 35
- Fundamentum autem huius sue sententiae, quam supponunt, statueri videntur duplex, ut ex hoc illorum, & priore scripto colligitur. Primum est mandatum Domini, *Date mutuum, nihil inde sperantes*, Luc. 6. in quo fundatum passim omnes suas rationes resoluunt, & in eo tamquam primo principio conquefcunt. Vnde infra aperte insinuant, rem istam non posse discursu rationis definiri.
- Notandum, eodem prorsus fundamento nixos suis Auctores prima sententia, quam Summus Pontifex reprobat per suam definitionem, & prohibet pradicari, vel in disputationibus verbo aut scripto defendi, sub pena excommunicationis latte sententie. Prima enim sententia affirmat, (*vt in Bulla dicitur*,) eos Montes non esse licitos, in quibus aliquid supra sortem pro libra, decusso certo tempore, per ministros huius Montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur; & propter ea ab usurarum criminis, seu ab aliqua certe specie mali mundos non evadere, cum Dominus noster, Luca Euangelista attestante, aperto nos praecepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam supra sortem sperare debeamus. En primam sententiam, cuiusque fundamentum. Eodem prorsus vtuntur, qui nunc Montem oppugnant.
- 36
- Aliam esse mentem Domini in illis verbis, planè certum est. Primo, Quia si illa esset mens Domini, prima sententia esset verissima: vnde malè à Summo Pontifice damnaretur. Secundo, Quia ratio usurarum non est supernaturalis, sed contra ius naturae, ut communis Doctorum sententia tenet, vnde eius cognitio est fori mixta; ac proinde ratione naturali potest determinari.
- Terter, Quia triplex apud Doctores inuenitur expositione illorum verborum, quarum nulla fauet illi sententiae. Prima est, Ut cum damus mutuum, non adstringamus mutuatarium ad reddendam sortem; inquit, etiamsi non speremus illum redditum, non ideo auertamus a mutuando: quo modo non est praecepti, sed consilij: vnde non facit ad propositum. Eaque videtur esse mens Domini eo loco, si adiuncta considerentur. Secunda, Ut non obligemus illum ad simile officium praestandum: & sic etiam ad rem non pertinet. Tertia, Ut non obligemus illum ad aliquod supra sortem: & sic quidem est praeceptum, & ad tem pertinere videtur, sed reuera non pertinet: nam hoc non sic generatim & absolute est accipendum, sed restrin-
- gendam ad titulum mutationis, ita ut præcise titulo mutationis nihil supra sortem exigamus, sicut faciunt usurarij tum publici tum priuati; quibus ex mutatione nullum lucrum aliud iustum cessat, nullum damnum emergit, nulli periculo fors exponitur, nulla enim æquitas postulat, ut ego mutuem cum meo damno, vel amissione lucri sperari. Itaque dubitandum non est, quin, eis præcise ratione mutationis nihil ultra sortem exigendum sit, tamen ratione titulorum adiunctorum per accidens, aliquid ultra sortem exigi possit, quo ha*uita* iusta compenatio; ut si accepi 1000. aureos ad redditum, & tu a me mutuum flagites, possim exiger, ut pro rata soluas pensionem istius redditus, vel ut totum pensionis onus subeas, si totam summam petas. Si pecuniam destinatam negotiacioni, alteri perenti mutues, ita ut idcirco spes istius lucri tibi cesseret, potes in mutuando spem illam estimare peritorum iudicio, & exige eius compensationem, ut ex allegatis DD. patet. Et vniuersale ultra sortem iure iuste recipi interesse damni emergentis aut lucri cessantis, tamquam communem Theolog. & Canon. sententiam vbiique receptam statuit Couar. lib. 3. var. ref. c. 4. num. 1. ex D. Thoma, & alijs plurimis. Si priuato propria auctoritate licitum est exiger in mutuando, ut pro rata mutuatorius concurrat ad solutionem pensionis; cur non licet Monti Pietatis auctoritate publica?
- Sed, inquiunt, tunc non poterit dici *Mons Pietatis*. Verum Primo id parum ad rem facit: non enim agitur quo nomine sit vocandus, sed an committatur usura, vel aliquid contra iustitiam, ut ipsi affirmant. Deinde verum non est, non fore dicendum Montem pietatis, cum ipse actus mutuandi, etiam in tali eventu, sit opus misericordiae, quo succurratur alienæ inopiae, & opus verè pium. Fatorum tamen, maiorem fore pietatem, si nihil exigitur ultra sortem (ut Summus Pontifex in Bulla affirmat) ne quidem pro impensis ministrorum vel damno emergete; & adhuc maiorem, si fors ipsa condonetur. Verum hoc nihil ad rem facit. Nam quod bono vino detur melius, ut ait IC. non arguer illud non esse bonum. Et quod virginitas sit melior matrimonio, non arguit hoc non esse bonum, ut bene Nauarrus hic responderet.
- Addo, quod illi ipsi, qui dicto Domini Luc. 6. Montem oppugnant, fateantur, Montem posse exigere supra sortem aliquid moderatum, ad expensas ministrorum. Hoc si verum est, ergo verba Domini non sunt ita amplè & absolute accipienda, ut nihil ultra sortem quoniam titulo liceat accipere: quo sensu passim illa verba ab ipsis virgentur.
- Sed dicent, in verbo Domini faciendam exceptionem, nempe nihil sperandum seu exigendum, excepto quodam *moderato* pro stipendijs ministrorum; & hoc *moderatum* ita intelligendum, ut non comprehendat totum stipendum ministrorum, sed solum partem; alteram enim partem praestandam à Monte: præter hoc moderatum nihil posse exigi, nec pro solutione censuum, nec pro conseruatione rerum Montis, ut Mons feruerit indennis.
- Verum hæc acceptio sic limitata videretur carere omni fundamento. Vnde enim habetur? cum ratio naturalis illam non dicit, nec Scriptura, aut Concilia, aut sancti Patres illam insinuent. Si enim aliquid licet exigere pro stipendijs ministrorum, v. g. pro parte dumidia stipendiij, cur non pro

37
Quomodo
dicatur
*Mons Pie-
tatis*.

38

39

*Mons Pie-
tatis*.

toto stipendio, seu quantum necesse ad integrum stipendum?

Respondent, Quia ministri non solum seruunt mutuariis, sed etiam Monti, quia pignora curant in indemnitate Montium ad erogatae fortis securitatem. Ergo non solum a mutuariis debent solui expensae illae, sed pars earum soluenda a Monte ex proprijs Montis bonis.

Sed contra, Quia mutuarij & Mons non sunt in istar duorum dominorum distinctorum, quibus ministri ex aequo & immediata seruant; sed in istar vnius. *vbi enim est unum propter unum, ibi non censetur esse nisi unum.* Vnde cum totus Mons cum omnibus suis ministris sit proper mutuarios, & omne illorum ministerium ordinetur in commodum mutuariorum, in quod ordinantur etiam indemnitas & securitas Montis; hoc ipso quo seruant Monti, seruant communitatii mutuariorum; ac proinde tortum onus stipendiiorum deuoluui potest in mutuarios. Quod adeo videtur perspicuum, ut non putem esse ullum Doctorem, qui ita distinxerit ministrorum stipendia, aut senserit a mutuariis non posse exigiri, in taxa, quantum opus ad integrum stipendia, quando Mons aliunde non haber ad hoc fundationem. Neque dubium est, quin Summus Pontifex in Bulla de integrum stipendio loquatur, ut clare ostensum est in priore Questione ex verbis Bullæ, quibus referuntur secunda sententia, quam Bulla approbat, cum fateatur eam fuisse approbatam a quinque Pontificibus, & a sanctis viris publicè prædicatam & commendatam. Ad quam probationem, oppugnantes nihil respondent. Idem conuincitur ex eo, quod Pontifex, postquam definiti, eos Montes, in quibus aliquis accipitur ad expensas ministrorum, pios esse ac meritarios; addit, *multo tamen sanctius multoque perfectius fore, si omnino tales Montes gratuit constituerentur; hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus, si non omni, sicut vel media ex parte, bina modi Montium ministrorum soluantur impensa.* Si isti Montes forent magis pisi, quam priores de quibus loquitur in definitione; ergo in ijs de quibus agitur in definitione, soluantur integræ expensæ ministrorum, & Pontifex per impensas ministrorum in sua definitione intelligit integras impensas, non partem, ut istud scriptum contendit.

⁴²
Alterum
fundamen-
tū aduers.
ex verbis
Bulla.

Alterum fundamentum, quo nituntur, petitum est ex Bulla Leonis, ex illis verbis: *In quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas.* Vbi ponderat non moderatum, & non ad solas, & sic obijcunt: Pontifex & Concilium concedit solum accipi quid moderatum. Atqui si acciperetur a mutuariis, non solum quod necessarium est pro ministris, sed etiam quod necessarium est ad solutionem censum, acciperetur amplius quam moderatum: ergo hoc est prohibitum. Deinde concedit solum accipi ad ministrorum impensas: ergo non ad solutionem redditum aut aliarum rerum necessariarum ad Montis conseruationem. Sed facilis est responsio.

Ad Primum respondeo, Pontificem ibi tantum definire, eos Montes, in quibus aliquid moderatum accipitur ad solas ministrorum impensas, &c. esse pios, & nullam speciem mali habere. Nullo tamen modo hinc sequitur, alios, in quibus amplius accipitur ex alio iusto titulo, condemnata.

ri, vel ylo modo improbari: quia de talibus non erat quaestio.

Addo, semper accipi aliquid moderatum, quando non exceditur aequalitas iustitiae; quia summa moderatio est, vbi est iustitia aequalitas. Ergo non censetur Mons accipere aliquid immoderatum, quando non plus accipit, quam iusta merces ministrorum, & conseruatione rerum Montis, absque lucro Montis, & ad solam suam indemnitatem postulat. tanti enim valet opera & negotium quod in commodum mutuariorum a Monte impendit. Vnde signate Concilium non dicit aliquid modicum, sed moderatum: quia fieri potest, ut id quod est moderatum, respectu operæ impensæ sit absolute & in se multum; ut si etiam ipsa opera sit multa & magni præter. Itaque illud verbum nullo modo repugnat nostro Monti; quod infra magis patebit.

Ad Secundam respondeo, Valde mirum esse, illud, *ad solas ministrorum impensas*, toties vrgeri ad excludendas omnes alias impensas; cum immediate sequatur, & aliarum rerum ad illorum conseruationem, ut preferitur pertinentium. Itaque expressè concedit Pontifex, ut non solum aliquid accipiat ad expensas ministrorum, sed etiam ad impensas aliarum rerum, quæ ad eorum, nempe Montium, conseruationem sunt necessaria. Vnde manifestè sequitur, si necessarium est munire domum, accipere pecuniam ad censem, ut possit Mons confidere, posse in taxa mutuariorū huius rei haberi rationem, & pro rata, quantum necesse (absque lucro Montis) & ad solam eius indemnitatem exigi.

Verum ut suum fundamentum sustineant, Respondent dupliciter. Primo, illa verba, *ad solas ministrorum impensas*, interligi de solo vietu ministrorum; illis vero, & aliarum rerum ad illorum conseruationem pertinentium, non significari conseruationem & indemnitatem Montium, sed ministrorum qui proximè prænominati sunt, quorum vicetus designatur nomine impensarum, vestitus vero & quæ eo pertinent, nomine aliarum rerum.

Sed hæc expositiō clarè refutata est in priori Questione: vnde ipsi, cæ relicta, aliam nunc adhibent, nimis non esse distinguendas impensas secunda interpretatione ministrorum ab impensis aliarum rerum ad Montis conseruationem pertinentium, sed esse easdem: nam hoc ipso quo datur stipendum ministris, datur impensa ad rerum Montis conseruationem; tum quia ipsi ministri instituti sunt ad rerum Montis conseruationem, tum quia dum ministri accipiunt stipendia a mutuariis, reservat sibi Mons, quod alioquin de suo debuisset ministris soluere; nullam autem propriam seu distinctam impensam exigi posse pro aliarum rerum Montis conseruatione.

Sed neq; hæc interpretatio est probabilis. Primo, Quia si hæc est mēs Bullæ, ergo frustrā addit Pontifex illa verba: *Et aliarum rerum ad illorum conseruationem pertinentium,* sufficiebat enim dicere, *ad solas ministrorum impensas.* Imò illa verba ad nihil aliud seruant, quam ut Lectorem inducant in errorē. Quis enim, cū ita dicitur, Potes exigere ea quæ necessaria sunt ad impensas ministrorum, & aliarum rerum ad Montis conseruationem pertinentium non intelligat distinctas impensas, & præter ministrorum stipendia, posse etiam aliquid exigi pro aliarum rerum conseruatione? Vnde non puto alicui Doctori haecenus alium sensum in mentem venisse. Secundo, Quod impensa ista sint distincte, patet

patet manifestè ex verbis secunda sententia, quam Pontifex refert, vbi sic dicitur: *Pro indemnitate tamen eorumdem Montium, impensis videlicet ministrorum eorumdem, ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium.* Vbi præter impensas ministrorum conceduntur *impensa rerum omnium necessariarum ad Montis conseruationem.* Tertiò, quia in secunda sententia & in ipsa

⁴⁶ definitione conceduntur *impensa omnes, que necessariae ad Montis indemnitatē, ut patet ex illis verbis secundæ sententiae, pro indemnitate tamen eorumdem Montium, & ex verbis definitionis, pro indemnitate illorum dumtaxat.* Atqui stipendia ministrorum non sufficiunt ullo modo ad Montis indemnitatē, sicut nec ad rerum Montis conseruationem. Ergo aliae impensa ibi intelligenda. Quartò,

⁴⁷ Per rō *solas* ministrorū impensas, non excludit Summus Pontifex alias & distinctas impensas ad conseruationē Montis rerumque illius necessarias, ut dictum est, sed tantum excludit impensas non necessarias, & aliorum quām ministrorum, qui Monti non subseruiunt, quales essent officiarij aliqui Reip. consanguinei vel amici ac fautores ministrorum, qui se possent ingerere, & emolumenata ac commoda quædam capare, vt fieri confusione insinuat prima sententia à Pontifice relata, his verbis: *Pluraque interdum ultra moderatas & necessarias impensas, nō absque specie mali, ac incentivo delinquendi, quibusdam alijs personis (ut inferre videntur) exhibeantur.* Sic, si quis legaret Titio *sola filiorum alimenta, & sumptus ad farta testa domus necessarios, excludendo per sola filiorum famulos & ancillas, & alios domesticos, non excluderet expensas reparationis domus, quas malè heres Titio negaret: qui ridiculum se præberet dicendo, quod testator legando sola filiorum alimenta, cetera omnia exclusisset; vel quod legando filiorum alimenta, & Titium subleuando hoc onere alimentorum, legasset illi virtute sumptus necessarios ad domus conseruationem, eo quod insumenta alioquin in alimenta filiorum, in farta testa domus impedere posset.* Ita in proposito.

⁴⁸ Addo, illam respondensem opponentium non satis videri cohærente cum eo, quod eodem scripto passim affirmant, non posse exigere quantum est necessarium ad impensas ministrorum, sed solum partem; eo quod ministri non solum seruant mutuatarij in curandis & administrandis pecunij, &c. sed etiam Monti, custodiendo res Montis, & pignora, ac securitatem Montis; ac proinde eos à Monte partem debere accipere. In hac vero sua expositione, quam refutamus, fatentur à mutuatarij posse exigere stipendum ministrorum ob custodiā & conseruationem rerum Montis; quæ quomodo cohærent, non video. Ex his perspicuum videtur, fundamenta aduerſariorū non posse subsistere. Nunc ad reliqua scripti illius ex-aminanda pergamus.

⁴⁹ Tertio §. insinuant, à mutuatarij posse exigere concurrant ad solutionem annue pensionis, si ipsi Praefecto Montis mandatum dederunt, ut pecuniam Montis sub censu acciperet. hoc si verum est; cur nō idem locum habeat, quando Princeps Praefecto tale mandatum dedit; cum Princeps respectu subditorum sit instar tutoris vel curatoris in ijs quæ ad bonum publicum iudicant expedire; & in ipso eminenter continetur subditorum consensus; sicut potest statuere, ut ad fabricam pontis, vel

eius reparationem accipiatur pecunia ad censum, L. 4. C. quando alia commoditas deest, & pensio annua Quibus ex canis maiores. vbi solvatur ex contributione eorum qui per pontem transiunt, etiamsi illi priuatim non conferint: cur simili modo ad liberandum populum à detrimenis viarum quibus haec tenus grauatus fuit, non potest mandare, vt instituatur dominus accommodata, vt accipiatur pecunia ad censum, cùm alia ratione haberi nequeat, & vt ad solutionem illius census mutuatarij pro rata concurrant? Nam hac ratione liberabuntur à multo grauiori onere quod subibunt apud viaros.

Quarto §. respondent, *Quia ratio pietatis, quam Mons proficitur ad demolitionem viarum expressæ inserviunt, requirit ut supra sortem nihil exigatur, secus erit diminuio non exterminatio viarum oneris.* Verum si hæc ratio valere debet, ne pro sti-
⁵⁰ pendis quidem ministrorum quidquam exigi poteris supra sortem: quod si pro illis lictum, vt Responso aduers. re-
Summus Pontifex in Concilio definiuit; cur non futur. erit etiam lictum pro onere, quo ipsa pecunia (quæ alio modo haberi non poterat) est comparata? & si pro impenedijs ministrorum, quorum opera est extrinseca mutationi, cur non pro impen-
dijs ipsi pecunia quasi intrinsecis?

Denique, Si quando Principis auctoritate sic constitutur Mons, amittit rationem pietatis, & incurrit crimen viariorum; ergo similiter amittere & erit viarius, si instituatur auctoritate Reipub. tota illa & singulis eius membris consentientibus; quia eadem ratio locum habet. Pietas enim postulat, vt in mutuo nihil supra sortem accipiat, alioqui erit crimen viarum.

Verum suprà ex sententia communi Doctorum ostensum est, non omne quod accipitur supra sortem, in mutuo efficere crimen viarum, sed illud tantum, quod accipitur præcisè vi & titulo mutationis, qui est intrinsecus & essentialis illi contraceti: non autem quod accipitur titulo extrinseco, & adiacente, vt titulo lucri cessantis, damni emergentis, periculi sortis, &c. & sicut tantum occasione mutui. Hic autem in Monte accipitur titulo damni emergentis: nisi enim mutuatarij soluerent pro impenidijs ministrorum, & pensionibus annue debitis ratione pecunia mutuandæ, Mons damnum pateretur, nec posset vel ad unum annum consistere, cùm nihil vel parum ex se habeat. Vnde etiam in prima rigida sententia à Pontifice allata dicitur: *Ea est propria viarum interpretatio, quando ex vi rei, que non germinat, nullo sumptu lucrum, id est, aliquid supra sortem conquiritur.* In casu autem nostro nihil accipitur sine sumptu, sed tantum compensatio sumptus aut suscepit oneris. Sanè si Summus Pontifex intendiserit in illa Decretali formam præscribere Montes erigendi, & prohibere quod minus alij vel aliter instituerentur (sicut Pius V. in Decretali *Cum onus*, præscriptis formant contrahendi census) & consequenter, ut verba illa definitiva, cum Apostolica Sedis approbatione erigi posse, dici possint vim cuiusdam præscripti habere, vt volunt opposentes, clare hanc suā mentem & prohibitionem expressisset, sicut Pius V. in sua Decretali hæc & similia repetit: *Hac nostra constitutione statuimus, censum creari constitutive nullo modo posse, nisi, &c. in pactum deduci prohibemus, &c. nullo modo valere volumus, &c. omnino prohibemus, &c.* Ac tandem subiungit: *Contractusque sub alia forma possumus celebrando feneratios indicamus.* In nostra autem

autem Decretali nihil reperitur simile, quo Montes alios vel alteri erigi prohibeatur. Sed tantum definit Summus Pontifex, Montes antedictos, &c. auctoritate Sedis Apostolicæ probatos, &c. nullam speciem præferre, & alios similes cum auctoritate Sedis Apostolicæ erigi posse, cōtra Doctores primæ sententie; & prohibet tuba poena excommunicationis latæ sententie, ne quis contra eam definitionem prædicet, aut verbo vel scripto disputeret. Nec aliud postulabat orta tunc controvergia.

⁵² Sexto §. sic scribunt: *Nec excusat, quod supra sortem acceptum, convertatur in usum publicum, aut pium; quia usuris rem publicam vel sacram angere non magis lucet, quam primitam. Impertinenter itaque orgetur, quod taxa mutuatariorum dicti Mons, quatenus excedit stipendia ministrorum, convertatur in bonum publicum.*

Verius fortè quis dixerit impertinenter hæc scribi, sicut & multa alia, quasi à nobis adseruntur; nisquam enim adserimus illam excusationem. Scimus enim, non esse facienda mala, vt euenerint bona; & nota est S. Augustini sententia Serm. 35. de verb. Dom. *Nolite velle elemosynas facere de famore & usuris.* Et lib. de bono coniug. c. 14. *Negat si agris inique ac perperam iniussit ita quisque utrius, ut eorum fructibus largas elemosynas faciat, ideo rapinam iustificat.* Et nemo in Theologia morali vel mediocriter versatus ignorat, id per se non excusare crimen usuræ; sed alias circumstantias debere addessi: & in primis ut nihil supra sortem exigatur præcisè ratione mutations. Vnde neque illam rationem ita nudè consideratam usquam vngnus, vt patet legenti priorem Quæstionem.

⁵³ Similia fere sunt, que scribuntur §. 7. & 8. non enim utimur huiusmodi laxis ratiunculis, nec dicimus, pecuniam ad censem à Præfecto Montis acceptam, esse in specie oppigneratam vel onerata tam aliquo onere, quod cum ipsa pecunia transeat. Vnde frustra illa oppugnantur. Qui accipit illam pecuniam mutuò, contrahit obligationem personalem ex contractu, vel quasi contractu, vi legis seu publicæ ordinatio: sicut qui accipit officium aliquod, vt tutoris, Prætoris, &c. Vnde non est opus ut ipsa pecunia realiter aliquam oblicationem habeat, que simul cum ipsa transeat.

⁵⁴ Ibidem sic argumentantur: *Qui peti pecuniam à Monte, non postulat ea vi vel non vi, nisi per modum mutui. Date autem mutuum, nihil inde sperantes.* Ergo non potest hic quidquam ultra sortem exigiri. vbi non video quid modus, quo vult acceptor illa pecunia uti, aut quo illa vteret, ad rem faciat: solum enim modus seu contractus, quo cupit illam sibi numerari, spectandus est. Deinde si hoc argumentum valet, nihil in mutuo exigi poterit pro damno emergente vel lucro cessante, nec pro ministrorum impensis, vt supra ostensum; hoc enim eorum argumentum probat.

⁵⁵ Eodem pertinet quod §. 5. dicunt: *Quod supra sortem accipitur, non accipitur nisi ratione mutui: id autem sapis usuram.* Itaq; iuxta ipsos usuram est, accipere aliquid pro impensis ministrorum (nam hoc accipitur supra sortem) quod est contra definitionem Concilij: nec ratione damni ex mutatione emergentis aut lucri cessantis poterit aliquid supra sortem exigi, quod est contra praxim Orbis & communem Doctorum sententiam. Nempe non distinguunt opposentes, accipere aliquid supra sortem ratione mutui, & occasio-

ne mutui; qua tamen sunt validè diuersa. ⁵⁶ Eisdem rationis est quod adferunt §. 9. vbi concedūt, posse pecuniam accipi ad redditum quando illa verenda est in usum omnium, ut in consumptionem, non autem ad mutuum mutuarii onerosum, quia mutuum prestari debet sine onere aut spe aliquid inde recipendi. Inde enim sequitur, nec ratione damni emergentis, nec ratione lucri cessantis, nec ad impensis ministrorum quidquam posse accipi.

Addo, quando pecunia accipitur ad compārandum triticum sub onere centis pro tota ciuitate, potest constitui, vt soli emptores grauentur qui percipiunt commodum, si nisquam alibi minori pretio habere possint. Ergo similiter constui potest, vt soli mutuarij grauentur ad soluēdā penſionem; quia hi soli commodum percipiunt ex illa pecunia: sicut enim illud triticum emptum est protota ciuitate, ita etiam Mons institutus est pro tota Repub. nemine excepto: nec minus in contractu emptionis seruanda æqualitas quam in mutuo.

Decimo §. negant pro ministris posse accipi quantum necesse est ad eorum impensis, *cum in Bulla non legatur quantum necesse, sed quid moderatum ad impensis,* quæ duo dicunt differre. sed hoc supra refutatum est. Deinde in Bulla id satis exprimitur, dum dicitur *posse accipi quod necessarium ad indemnitatē Montium:* incurrit autem damnum, si ex suo debet ministris partem stipendiorum. Denique, quomodo, quæ regulâ definitur, quantum Mons debeat ministris dare de suo, & quantum à mutuarijs accipiet? nemo usquam Scriptor talis distinctionis mentionem fecit.

Vnde decimo §. dicunt, *ministris debere accipere par tem stipendij à Monte, quia seruant indemnitatē Montium, & securitati sortis.* Verum, vt supra diximus, cum torus Mons, cum omnibus suis pecuniis & rebus necessariis conflatis, sit solum in commodum mutuariorum, hoc ipso quo seruitur Monti, seruitur cōmoditati illorum; ac proinde ab illis possunt totum stipendum accipere, sicut milites qui in re militari seruum Duci, cui Rex commisit militem, conscribere ad tuendam Rempub. vel ad expugnandum oppidum, totum stipendium accipere debent à Rege, non à Duce; quia non obediunt Duci in commodum Ducis, sed in commodum solius Regis vel Reipub. etiam seruendo & militando Regi vel Reip. simul etiam saluti & honori ac commode Ducis consulant. Et ministri aut Officiarij, qui subseruunt Præfecto æararij aut Thesaurario Principis in colligendis vecinalibus & prouentibus, in exutiēdī debitoribus, in rationibus dati & accepti concinnandis, totum suum stipendum immediatè vel mediatè accipere debent à Principe, cui principaliter seruunt; etiam si eorum industria & diligentia Thesaurarium non parum subleuet, & ad indemnitatē eius pertineat. Inde si mutuum tibi dem, & fiat de eo instrumentum Notariale, quo à te vel heredibus tuis suo tempore, si opus sit, sortem repetam, æquum omnino est, vt tuis expensis id fiat, et iam ad meam tantum indemnitatē pertineat instrumentum; quia teneris me rationabiliter ut visitato modo reddere securum de sorte, si id petiero, idque sine meo damno & sumpiu.

⁶⁰ Que omnia co magis locum habent in Montibus, quod conferuatio, securitas & idemnitas Zzz illo-

illorum sunt etiam in commodum mutuatariorum: nam, si quædam Montes patenterent defacta restitutionis (qui crebro continget, si pignora non exhiberentur) vel ex taxa mutuatariorum constituta resarciri deberent talitem consentiente communitate; vel Montes sentim exhaustentur, longè maiori mutuatariorum & Reipub. incommode. Imò sine pignoribus nulla certa bona ratio constitundi ac administrandi Montes excogitari posset.

- 61 Neque est eadem ratio mensæ foenbris ac Montis (vt §. 12. obicitur:) quia constat, illam non statui tamenmodo in commodum Reipub. nemo enim dicit, foenatorē publicum nihil aliud intendere, quā in commodum Reipub. cūm nihil querat, nisi proprium lucrum, & dñe sc̄ere ex mutuo, ac proinde ipse non censetur gestor negotiorum, aut mandatarius Reipub. in causa mutui; nec in eo seruire Reipub. & esse eius minister vel officialis, vnde eo nomine non potest accipere stipendium. Addo, si usurarius non intendenter dñe sc̄ere ex mutuo, sed solum exigeret praeceps quantum neceſſe est ut se serueret indemnem, non esſet usurarius, nec committeret villam iniustitiam: nemo enim cum suo damno mutuare tenet, nec villa equitas id postulat.

62 Decimo tertio §. dicitur, *ex eo quod mutuataris tam ex parte rerum quam ministrorum Montis sentiant commodū, non recte colligi posse ab illis aliquid accipi supra sortem; quia alioqui excusaretur publicus usurarius: nam dicit, mutuatarios simili modo ex mensa sua commodum accipere.* Sed non video, quid hęc pertinet, cūm ista collectio non sit nostra: notorium siquidem est, non esſet illam adæquatam aut sufficientem caſtam, cur aliquid exigere supra sortem liceat: sed causa adæquata est, *quia mutuans in praſtando mutuo potest se seruare indemnem, modo nihil lucretur quo fiat diutor;* vt autem seruet se indemnem, potest exigere quod neceſſarium est ad impensas ministrorum, & pecuniam comparandam. æquitati autem consentaneum est, vt mutuarij, cūm ipsi commodū sentiant, in dō totum in ipsorum commodum agatur, non se præbeant difficultates ad soluendum aliquid pro indemnitate: nemo enim suis stipendiis militare debet, aut in commodum alterius seruire, nisi forte sit mancipium. vnde verum non est, *quod usurarius committeret crimen iura, etiam si nihil exigeret supra sortem, nisi quod est neceſſarium ad pignorum aſſertione:* potest enim quisvis exigerre quantum prudenter iudicatur neceſſarium, ut se serueret indemnem, vt communiter Doctores tradunt, & Concilium Lateranense manifeste indicat Bulla suprà citata.

- 64 Addo, pro impensis ministrorum non exigere à mutuarij, quod seruant ipsis immediate, custodiendo pignora, sicut opponentes passim insinuant, distinguendo ministerium quod ministri præstant mutuarij, à ministerio quod præstant Monti, quasi seruentes duobus dominis, à quibus partialiter pro rata opera debeat stipendum accipere; non enim sic ista res est concipienda: ministri enim immediate seruunt soli Monti, & mediate tantum mutuarij, quaratus totus Mons ordinatur in solum commodum mutuatariorum; vnde stipendia non sic debent diuidi, sed immediate à solo Monte totum accipiunt; Mons à mutuarij, constitudo taxam, qua

se seruet indemnem quoad ista stipendia.

Decimo quarto §. ita ratiocinari videtur: *Si etiam licitum est exigere quantum neceſſarium ad stipendia ministrorum & indemnitatē mensæ foenbris: ergo si fiat excessus & amplius exigatur, non erit virtus iura, sed simplicis iniurie.* Vbi non video quia ratione probabili id sequatur. Cūm enim nullus sit iustus titulus illius excessus accipiendo, supra id quod neceſſarium ad indemnitatē manifestū est conferi accipi praeceps ratione mutuarij: quod autem hoc modo supra sortem exigitur, omnium Doctorum sententia est iura; quia ratio iura constituit in tali modo accipendi.

Quæ deinde §. 15. & 16. dicuntur de obsequio ministrorum praefito mutuarij, & praefito Monti, iam claræ refutata sunt.

Decimo septimo & decimo octavo §. duo contendunt: *Primū, non posse aliquid exigere pro rerū Montis conseruatione distinctum a stipendio ministrorum: led hoc iam supra refutatum, etq; cōtra Bullam, quæ illa aperit distinguit; neque existimat esse villum Doctorem qui anteā Bullam alter intellexerit.*

Secundū affirmant, *Pontificem non probare secundam sententiam in Bulla commemoratam, sed potius reprobare & corrīgere, quia secunda sententia cōcedit, ut aliquid accipiat pro conseruatione rerum Montis: hoc autem Pontifex improbat & corrīgit.*

Sed contra, si Pontifex illam sententiam im-
probat, ergo improbat sententiam quam ipse fa-
tetur esse approbatam à quinque Summis Ponti-
ficibus, & à sanctis viris publicè predicatam &
commendatam. At enim, quod *Autores huius sed app-
roficiens ostendunt, eam à quinque Summis Pon-
tificibus approbatam,* nempe à Paulo II. Sixto IV.
Innocent. VIII. Alexandro VI. & Iulio II. Nisi
crederet ita esse, non diceret ostendunt: quia quod
falsum est, ostendit non potest; sed dicendum erat
conantur ostendere, et si falsum; alioquin quis Lecto-
rum ex illis verbis non iudicet Pontificem credi-
dile verum esse?

Deinde addit Pontifex, quod ijdem Doctores ostendunt secundam illam sententiam, à sanctis quo-
que & à Deo deoꝝ & in magna ob sanctitatis opiniōnem exiſtimatione habitis Euangelica veritatis
predicatoribus esse predicatam. Tertio, commendat
Pontifex Autores secundam sententiam ob pie-
tatem & veritatis amorem. Censet ergo illorum
sententiam esse piam & veram. Autores prima
commendat ob solum zelum iustitiae: quia eti
circa veritatem errarent, tamen amore iustitiae,
ne vorago aperiretur usurparum, ita sentiebant.
Quarto, Pontifex in principio Bullæ antequam
recenset istas duas sententias, aperte dicit contro-
uerſiam fuisse ortam de Montibus Italæ appro-
batis & confirmatis à quibusdam Summis Ponti-
ficibus. Et de illis subiicit duas sententias; qua-
rum prior improbat illos ex illa sententia Domini Lucae 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes: altera approbat illos, ostendens non esse usurparum, & illos Montes esse approbatos à quinque Summis Pontificibus; quam sententiam Pontifex ample-
titur, & definit esse tenendam.*

Confirmatur, Quia in definitione manifeste approbat Montes de quibus secunda sententia lo-
quitur. *Definimus, inquit, Montes antedictos (nem-
pe de quibus secunda sententia) auctoritate Sedi
Apostolica hacenus probatos & confirmatos. quales
nimur sunt illi de quibus secunda sententia. De
nullis*

- 69 nullis alii potest hoc accipi, cum nulli alii sint *antedicti & approbati a Summis Pontificibus*. Denique euidenter concedit definitio, posse aliquid exigiri non solum pro impenis ministrorum, sed etiam pro impenis altarium rerum ad Montium conservacionem pertinentium, quatenus necesse est ut mons seruetur indemnis, ut supra clare ostensum; neque illa verba aliter exponi posse videntur. Vnde exposito opponentum plane est noua & improbabilis: verba enim Leonis per eam non saluantur (ut ipsi dicunt) sed potius pertinentur: non enim solum ait, *ad solas ministrorum impenas*, sed addit, & *aliarum rerum ad Montis conservacionem pertinentium*. ut mirum sit toties vrgari illud, *solas ministrorum impenas*, quasi nihil aliud addatur, cum immediate sequatur, & *aliarum rerum*, &c.
- 70 Decimonono, vigesimo, atque vigesimo primo §. nihil noui adfertur, sed repetuntur ea quae supra sunt refutata.
- 71 Vigesimosecundo §. dicunt, *Montem crescere opibus & fieri ditorum*, quando pecuniam accipit ad censem, si penso. solnatur per taxam mutuatarius impositam; ac prouide non posse hoc onus mutuatarius imponi. Sed hoc verum non est, nisi Mons seu Prefectus Montis accipiat illa pecuniam in proprium usum & commodum; tunc enim fiet ditor, alias pensiones soluentibus, de quo hic nō est questione. Tunc si accipiat illam tantummodo in commodū mutuatariorum, praesertim cum ipse immediatè maneat obstrictrus pro pensionibus, & solum habeat ius querendi se indemnum ex taxa mutuatariorum, quod puto esse etiam vulgo notum; ut mirum sit quemquam posse aliter iudicare.
- 72 Ibidem sū scribunt: *Pecuniam que à mutuatariis in conservacionem Montis accipitur, cōuerti non in aliquius priuati, sed in commodum communitatiss, non iustificat negotium, quia non licet rem vel publicam vel sacram ex iniquo augere vel conseruare: hoc ergo nihil ad rem sed est argumentum familiariter illius, qui pratoriter principis intrinsecis, ex circumstantiis praesertim finis, pronuntiat de quaui re.*
- Sed verius forte quis dixerit, hæc omnia, sicut & multa alia similia quæ in hoc scripto adferuntur, nihil ad rem praesertim facere. nam h̄c est manifesta petitio principij; cùm supponant illud quod accipitur a mutuatariis pro conservacione Montis, vel pro solutione redditum ad solam Montis indemnitate, esse lucrum iniquum: at hoc ipsum est de quo disputatur, & quod à nobis negatur; oftensum enim est, tum ex Bulla, tum ex ratione naturali, id esse licitum, quando est necessarium ad mutuantes indemnitatē.
- Deinde imponitur nobis, quasi sic getieratim argumentemur: *Hoc convertitur non in commodum aliquius priuati, sed in commodum communitatiss: ergo non est v̄sura, illud accipere supra sortem.* Nemo mediocriter eruditus, sic generatim colligat, quia manifestè est inepia collectio. Facile est tales rationes confictas oppugnare. Sed plura de hoc diximus supra.
- 73 Denique §. 23. insinuant, nos similes esse illis, qui pratoriter principis, ex circumstantiis, praesertim finis, pronuntiant de quaui p̄ne re. Verius forte dixerit quis, opposentes non pronuntiant ex principijs intrinsecis, sed extrinsecis & imaginarijs; quia ratio intrinseca mutui non postular, nisi ut nihil exigatur supra sortem precise ratione mutationis, vel commodi, quod mutuarius inde percipit, quod nemo negat; non autem vt nihil supra sortem exigatur ratione damni e lat, m̄si ut emergentis aut lucri cessantis, (ut videntur paſſum in hoc scripto sentire opposentes) quæ duo habent se inita circumstantia extrinsecæ simplici contractui mutui. Vnde cùm disputatur an aliquid sit v̄sura, consideranda etiam circumstantia extrinsecæ mutationi, & ex illis iudicandum; alioquin malè pronuntiabitur sententia. Quod verò nos non ex rei ipsius seu veritatis rei principijs extrinsecis, sed intrinsecis, iudicemus de ijs quæ proponuntur, patet; quia iudicamus Montem posse aliquid accipere à mutationi ad stipendia ministrorum; quod colligimus ex hoc principio: *Licetum est mutuanii se feruare indemnum: atqui non potest alia ratione se feruare indemnum, vt supponitur; ergo, &c.* Hoc principium est intrinsecum & adequatum istius pronuntiati, etiam si non sit intrinsecum rationi mutationis. Ex eodem principio colligimus, posse accipi aliquid ad solutionem pensionum, quæ debentur ratione pecunia à Monte ad redditum pro mutuariis accepta; quia aliter non potest esse Mons indemnum feruare, ut etiam supponitur.
- Vigesimoquarto §. conantur probare, per Bullam Leonis probiberi (saltē implicite) ne quis erigat Non requiri nouam Montem Pietatis sine approbatione Sedis Apostolice. Verū id non probiberi, videtur manifestum. tem Pontificis ad eri- apostolicos probatos esse licitos; ergo reprobatur non gendum approbatos. Itē: Leo definit Montes à Sede Apostolica erige posse; ergo prohibet ne sine approbatione tali erigantur. Solum enim sequitur, de non confirmatis nihil definiri, sed illos relinquī suæ naturæ. Vnde verum non est, illa verba, Et auctoritate Sedis Apostolica hæc tenus probatos & confirmatos; sive illa, Ac deinceps alios etiam similes Montes cum Apostolica Sedis approbatione erigi posse, quæ in Bulla leguntur, habere vim precepti, quo precipiatur, ut non erigantur sine Sedis illius approbatione & confirmatione. Neq; valet illa ratio: *Illa particula definitiū ingreditur, ergo habet vim precepti vel prohibitiōnis.* Potius contrarium inferendum erat, ut statim ostendetur. Sed inquit: *Nisi haberet vim precripti, impertinenter scriberetur & gratis: quis enim nescit, id quod per se fieri potest, ex abundanti fieri posse cum Apostolica Sedis confessio?* Respondeo, non impertinet, sed necessariō addi in definitiōne; quia in definitiōne ponendū erat id quod fuerat in Concilio propositum, & de quo erat controuersia inter Doctores: sed controuersia erat de Montibus iam ante à Sede Apostolica approbatis, & de his fuit questio proposita in Concilio. Vnde ne Pontifex excederet limites questionis, definiendo amplius quam erat propositum, aut necessitas controuersia postulabat (quod numquam aut rariſimē fieri solet) necessariō illa particula ponēda erat in definitiōne, praesertim cū non parum iuaret ad persuadendum, & ad iuuādam definitiōnis fidem apud homines. Ad confirmationem respondeo, Quando aliquid per se ita licitum est, ut omnibus constet illud per se licitū esse, fruſtrā adderetur, cum Sedis Apostolica approbatione: quando vero est quidem per se licitum, tamē non omnibus de eo constat, sed aliqui negant & impugnant; non fruſtrā additur, nec fruſtrā queritur.

Z z z appr.

approbatio, etiam si minimè sit necessaria, unde etiam probaremus, ut pectetur approbatio. Quando tamen rogatur an sit præceptum in Bulla, & an sine tali approbatione Mons non possit erigi, non possumus ex veritate & conscientia respondere, nisi negatiuè. Quod verò additū habere vim præscripti, ad cantalam ne creatio Montium libertati erigentum permisſa inuoluit vel subinferat quedam illicita, posset fortè id esse ratio aliqua ad statuendum vi petatur confirmatio; sed cum re ipsa non inueniatur id esse vñquam lute statutum, non est imponenda obligatio præcepti de quo non constat, multoq[ue] minus quando ferè certum est, nulquam tale præceptum extare.

79 Addo, quod sicut in cambijs, censibus, & alijs contra cibis, satis à Sede Apostolica & sacris Canonibus est prouisum per regulas iustitiae, ut isti contra cibis ritè possint fieri, sine alia Sedi Apostolicae confirmatione (quamvis sèpè magnum in his sit periculum in iustitiae), ita etiam factis prouisum est ad ritè instituendos Montes Pietatis absque alia confirmatione. Nec desunt erudiți Prælati, Confiliarij, & alij viri docti, qui de his possint iudicare.

80 Vigesimoquinto §. rursus negant quidquam posse accipi, nisi pro expensis ministrorum: sed hoc supra refutatum.

81 Quid Montis nomine intelligatur.
Vigesimosexto §. dicunt, nos Montis nomine intelligere pecunia aceruum ex quo erogantur mutuum, cum porius comprehendi debant omnes apparatus ad exercitationem talis mutui necessary. Nusquam in scripto nostro illud dicitur aut infinitu[m], sed sèpè contrarium. Duabus enim veluti partibus intrinsecis Mons Pietatis constat, aceruo pecuniae eroganda, & domo idoneâ ac pecuniae & pignorū custodiâ instructa ac comparata. Præfectus & ministri sunt necessarij ad vñm & exercitationem Montis, & eius conseruationem, non autem pars intrinseca: & ita Mons Pietatis hæc omnia inuoluit, & pro omnibus his conseruandis, quando alia media non sufficiunt, aliquid exigere potest.

82 Deinde addunt, non posse quidquam exigere pro Montis erectione, etiam si posset pro conseruatione; quod confirmant ex eo quod Pontifex non loquatur de erectione, sed solum de conseruatione rerum Montis ad ipsius indemnitatem: quare cum accipere ad censem pecuniam in aceruum aut reliquum Montis apparatum, non valeat ad Montis conseruationem, non licet ob eam causam quidquam à mutuatariis exigere.

Respondeo: Si pro conseruatione licitum est aliquid exigere, ne Mons concidat, & vt conseruerit in commodum publicum; cur non etiam, vt à fundamentis erigatur & extet? Si, vt commodum publicum continuetur; cur non vt primum inchoetur & procuretur? Sicut enim tota conseruatio est in commodum publicum, ita & erection. Sic non solum licitum exigere contributionem pro conseruatione Montis, dominus publice, Ecclesiæ, mœnium ciuitatis; sed etiam pro prima erectione. Nec refert quod Pontifex solum loquatur de conseruatione; quia non fuerat ei propositum de prima illa erectione, sed solum de conseruatione.

83 Vigesimo septimo §. dicunt non esse verum, idèo posse aliquid accipi pro ministrorum opera, quia sine illa non possent mutuatarii percipere commodum ex Monte. At hoc esse verissimum, videtur manife-

stum: nisi enim ministrorum opera effet necessaria ad conseruationem Montis, & consequenter ad modum mutuatariorum, nihil pro illorum stipendio posset ab illis exigi. Ratio quam ipsi adserunt, suprà refutata est, quia non accipiunt stipendium eò quod immediate seruant mutuatariis, seruando eorum pignora, ut opponentes imaginantur (multi enim non seruant pignora, & custodia pignorum in firma domo, paruan vel nullam requirit operam ministrorum) sed quia seruant in omnibus Monti, qui ad solam conseruationem mutuatariorum ordinatur.

84 Ad ea quæ dicuntur §. 28. suprà fuisse responsum, & ostensum est, nullum esse præceptum pertendi conseruationem.

Vigesimonono §. dicitur, fruolum esse dicere Montem huiusmodi Pietatis nomen mereri, ex eo quod, tametsi sub onere, mutuum petentibus omnibus concedat: nam & fanerato omnibus mutuum petentibus liberter sub onere prestat. Reponsum ad hoc suprà, & est manifeste contra Bullam in qua agitur de Montibus, qui supra sortem aliquid exigunt ad impensas ministrorum & conseruationem rerum Montis; & hos definit licitos esse & pios, & eorum pieatam populis prædicādam. Non enim modica est pietas, efficere, vt innumeris homines tenuis fortuna, qui antè cogebantur soluere 33. vel 22. in centum, soluant tantum 12. 10. vel 8. & minus, idque absque omni lucro vel commodo mutuantis, quæ differentia est vt minimum 10. in centum: quo etiam factum est, vt vno anno mutuatarii Bruxellæ & Antwerpia subleuati fuerint onere circiter quinquaginta millionum florenorum, quæ tatione mutui à Montibus accepti vñfurari amplius soluere debuissent.

Quod de vñfurariis adserunt, impertinens est; quia ipsi longè plus exigunt, quā sit necesse ad suam indemnitatē, & manifeste querunt ex mutuo ditescere.

Nec refert quod nunc dicant (vt fertur) se patatos dare pro 15. in centum, sicut Mons initio exigit: nam (vt omittam, quod hoc dicendo scipios manifeste condemnant in iustitiae toto tempore præterito cùm accepérant 33. vel 22. in centum) etiā initio forte id facerent ad impediendum Montis successum; tamen progreſsu temporis, quando opportunum videretur, facile in vñfura ascenderent. Deinde etiam si sternerent in illa taxa, non essent admittendi; quia Mons hic certò minorē sensim taxam confitueret. Vnde modò exigit tantum 12. in 100. sicque sensim procedent Administratores immiuendo, prout experientur se posse consulere indemnitatē Montis, etiam vñque ad 6. & minus in 100. magno sanè Reip. bono & egentium folatio. Quæ tamen diminutio taxæ non proueniet ex aliquo lucro, quod Monti accrescit ex maiori taxa, quam impræsentiarum exigit (vt quidam male opinantur) sed aliunde, quifructus erit industriae Præfecti Montis, quam probabili dicitur Principi & iis quos Princeps in consilium adhibuit.

85 Vtrum autem taxa illa, quam primo anno Mons Bruxellæ exigit, scilicet 15. in 100. fuerit iusta, quæstio est facti; peritorum mercatorum, & aliorum qui norunt expensas factas, iudicio definenda. Prælati Belgij (de quibus in Prefatione) reserio examinata, eam minimè improbarunt. Nos solum asserimus, mutuatarios ita posse taxari, vt Mons

Mons se p̄stet omnino indemnem, ac proinde etiam posse exigi 15. in 100. si tantum requiratur ratione oneris necessarij, quod subire cogitur.
89 Denique hoc etiam commodi per Montem accedit, quod pecunia non effteratur extra prouinciam, sicut fieri per vſurarios dicitur cum non modico Reipub. damno: quæ res omnino digna est consideratione.

90 Trigesimo §. dicunt: *Tuuius itaque ad conscientiam, & illistrins erit ad adificationem, reformare Montem, & in pecuniarū eius acervum, non plus reponsum habere quam Monti gratis donatum est: & si quid ultri receptum fuerit ad redditum, id restituere reddituaris.* Verum hoc nihil aliud est, quam omnem conatam in stiuenti Montes huiusmodi succidere, & vſurarios rursus introducere. Pecunia enim donata, nulla est vel modica, nec sufficiens ad ipsam domum comparadā, multò minus ad succurrentum egenitutis. Populus autem in ciuitatibus Belgij non potest carere subsidio mutui, ut ante 12. vel 15. annos manifestè patuit. Cū enim Sereniss. Princeps prohibuisset vſurarios, miserunt aliquor ciuitates suos Deputatos, qui explicarent S. Serenitatē necessitatem populi, & peterent vſurarios restituī: quorum iusta postulationi Princeps annuit. Omnes enim artifices

suis temporib⁹ ēgent paratā pecunia, vt comparent suarum artium materiam: alioquin graue damnum incurrent. Hanc non possunt habere gratis ex mutuo, neque ex venditione suarum rerum, nisi cum ingenti damno, cēd quod nondim sit tempus & opportunitas vendendi. Quare cūm alia ratio non sit inueniēde pecunia, eligunt eam quæ minùs videut damnoſa, & cōfugunt ad vſurarium publicum: cui post aliquot menses, venditis suis rebus opportuno tempore, fatis faciunt.

Omitto innumeratas alias necessitates paratæ pecunia in magno populo, quæ non durant sæpe nisi ad breue tempus, quibus necesse est succurrere vel per vſurarios, vel per Montes huiusmodi, in quibus sanè est longè minus dispensandum mutuatariorum, quam apud vſurarios. Itaque nullum periculum hic conscientia, nec video quomodo quis, male possit edificari propter pecuniam ad censum acceptam, & solutionem pensionum in mutuatarios deriuatam: modò bene sit informatus, & totum hoc negotium ex solidis fundamentis intelligat.

Hec responsa sunt ad scripta oppugnantium Montem & nostram sententiam, idque eo tantum fine, ut veritas hoc examine magis elucescat, & bono publico consulatur.

F I N I S.

